AMBROSIUS MEDIOLANENSIS

Österreich, 12. Jh. Seite 60r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26265
Copyright: Admont, Benediktinerstift

60

ceruat quod nesciat cui heredi relinquat. Sepe quod auarus summa egesserit sollicitudine percipiti effusione dilacerat heres luxuriosus. et diu quesita turpis presentium certus futuri inprouidus quadam absorbet uoragine. Sepe etiam speratus successor inuidiam parte acquirit hereditatis. et celeri obitu extinctus adite successionis transcribit compendia. Quid igitur uane aranee texis. que inanis et sine fructu est. et tamquam casses suspendis inutiles uitiorum copias. que et si fluant nichil prosunt. immo exuunt te imaginem dei et induunt terreni imaginem. Si tyranni aliquis imaginem habeat. nonne obnoxius est dampnationis. Tu deponis eterni imperatoris imaginem. et erigis imaginem mortis. Eice magis de ciuitate anime tue imaginem diaboli. et adtolle imaginem christi. Hec in te fulgeat in tua ciuitate. hoc est in anima resplendeat. que obliterat uitiorum imagines. De quibus ait dauid. Domine in ciuitate tua ad nichilum deduces imagines eorum. Cum enim pinxerit dominus hierusalem ad imaginem suam. tunc aduersariorum omnis imago deletur. Quid si in euangelio dominus etiam populis ipse addespiciendas opes informat atque instituit est. quanto magis uos

De imagine tyranni.

De ciuitate anime.